Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2715
Quelle:
Copyright:



quentiola *Fęcunda uerbo* de B. V. M. dixerit: *Vnius tria sunt facta Trinitatis opera. in carne de te sumpta. Angelus ne cadat. Homo lapsus hinc ut redeat. Temptator nec resurgat.* declaratque, quomodo salua religione et pietate de Christo dici possit: eum per carnem et crucem suam fecisse, *Angelus ne cadat.* Alter *Sermo*, qui incipit: *Sicut Dominus ihesus dei Patris uirtus et Sapientia precipit in euangelio* &c. pariter in refellendo Adversario, quem *Percussorem maxillæ* vocat *Godescalcus*, insumitur. Negotium est de alia *Godescalci* Sequentia in Assumptionem Mariae. *Hanc*, dixerat ille, *nec corrumpi nec putredine solui* Optat *plebs fidelis domini et corona resurgentium nunc lętari. Displicet*, prosequitur, *quod hic dixi* optando. *quod debueram dixisse* affirmando *eorum iudicio. uidelicet quod in ea. id est Domina nostra Maria iam completa sit resurrectio. ut sit corpore et anima in cęlo. Quod pio corde credunt. pio ore in eam dicunt. qui eam diligunt.* &c. Ille vero deinceps et Deiparam in conceptu originalem labem traxisse, et nondum resurrexisse contendit. Notabilis est *Fol.* 11. p. 2. inductio: *Si domnus herimannus contractus, cuius nomini quasdam Sequentias sicut* Celi enarrant *De apostolis. et illam de sancta Maria Magdalena.* Laus tibi criste *quidam attitulant, in hac tela dictando et docendo et modulando fuerat operatus. si domnus Notgerus monachus suas sequentias induxit in huius tele ornatum. cur et ego peccator. tamen monachus et catholicus non inducerem in hanc telam quod dedit Dominus. Electum cristi uas Domnus Herimannus de sancta cruce sequentiam* Grates honos hierarchia. *dicitur composuisse. ego uas abiectum. utinam eligendum. de sancta cruce ad illud* All. Dulce lignum *Sequentiam A* solis ortu et occasu. *docente domino composui. Domnus Notgerus de Apostolis* Clare sanctorum senatus apostolorum *composuit. ego de apostolis* Cęli enarrant *idiota composui. Ille de Assumptione Sancte Marie* Congaudent Angelorum. *fecit. ego pusillus de eadem festivitate hanc sequentiam quam nunc inter manus habemus* Exulta exaltata *composui in gratia sancti spiritus* &c. Ex hac inductione liquet *Godescalcum* nostrum *Hermanno Contracto*, qui an. 1054. et *Notgero Balbulo*, qui an. 912. obiit, posteriorem fuisse, tum *Hermannum* reapse sacra Cantica composuisse, quod quidam in dubium revocant, demum *Notgeri* Sequentias hic citatas easdem esse, quas Cl. *Bern. Pezius* ex Cod. S. Emerammi Ratisb. publici juris fecit *Thes. Anecd. noviss.* T. I. P. 1. *col.* 38. et 30. *Fol.* 12. integra et quidem accentibus musicis pernotata inseritur vexata *Godescalci Sequentia* hoc initio: *Exulta exaltata super creata cuncta. Creatoris omnium Genitrix Dei Virgo uirginum Stella maris Maria Cęli Regina mundi Domina* &c. Addit sub finem autor: *Ecce sequentia quam composui Docente Domino. ego qualiscun-*